



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias  
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,  
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de  
Coloniae Agr., 1684**

Quæstio 37. Quid importet clausula, invocato etiam ad hoc brachio  
seculari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

eo qui hanc clausulam interponere potest, inhibito procedere & sententiam suam debita Exemptioni demandare, *Mansing. de Obs. 3. Innoc. & DD. cap. Pastoralis de offic. dilect. Lanfranc. cap. quoniam contra de probat. Marant. de orat. jud. part. 6. act. 2. in de- cisor. num. 325.*

Q U Æ S T I O    X X X V I I .

Quid importet clausula, invocato etiam ad hoc brachio seculari.

S U M M A R I U M .

- 1. Clausula, invocato brachio seculari, tacite inest illius energia.
- 2. Conseruator an possit de viribus sententia cognoscere.
- 3. Secularis iudex an teneatur exequi sententiam iudicis Ecclesiastici pendente ap- pellatione.

Clausula hæc in rescriptis Pontificiis etiam si non adiceretur tacite inest. *Imola cap. significasti nu. 3. de offic. del. Navarr. cap. cum contingat Remedio 1. de rescriptis*, nec enim in iure rarum est, ut quædam dubitationis tollendæ gratia adiciantur rescriptis, testamentis contractibus quæ necessario adici non debebant, *l. que dubitationis ff. de Reg. Jur.* Itaque clausula hujus energiæ est, ut censuris Ecclesiasticis aliisque pœnis arbitrariis laici iudices compelli possint ad executionem à S. Sede delegatis demandatam, *cap. 2. de offic. ord. 7. 1. à dno § sententiam Roma num. 16. de Re. iud.* qua de re etiam aliis in locis tractavi.

Sed an secularis iudex cujus brachium imploratur, possit de viribus sententiæ ju- dicis Ecclesiastici cognoscere, quæstio esse potest. In causis mixti fori censuerunt<sup>2</sup> posse cognoscere, *DD. cap. 1. de offic. ord. Emanuel. Roder. Reg. quest. tom. 1. qu. 8. art. 14.* Signanter vero cum nullitas opponitur, *Navarr. d. cap. cum contingat Remed. 1. num. 7.* aut si mandetur aliquid, quod iudex secularis scit esse injustum, *Innoc. d. cap. 1. de offic. ord. Navarr. d. num. 7. vers. tertio*, & ideo est, quod Joannes Andreae Panorm. *Imola* responderunt, *in d. cap. 1. de offic. ord.* non teneri iudicem secularem ad imparti- dum ordinario brachium seculare contra illum qui prætendens se exemptum, appel- lavit à sententia ordinarij, *Navar. ad rem. 1. numer. 7. vers. 4.* ut nec tenetur brachium concedere pro executione sententiæ interlocutoriæ, si coram eo allegetur esse ap- pellatum, nisi tamen implicetur, ostendaturque appellandi causam esse falsam, *Navar. d. vers. 4.*